



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XII. Vtrum natrva lapsa sufficiat absque auxilio Gratiæ per Christum ad
obseruantiam totius legis naturalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

distinctam à dono creationis ex suppositione peccati, respectu totius hominum collectionis. Deinde Deus non potest in pœnam peccati eligere auxilia inefficacia, prout inefficacia; ita ut intendat inefficaciam ipsorum, respectu cuius solum permissiue se habere potest, ut dicitur in quæstionibus de Deo, explicando effectus prædestinationis, & reprobationis.

Art. 2. Denique natura lapsa, licet amiserit in pœnam peccati, quæ pendent à misericordia Dei, quatenus gratia respectu cuiusque, retinet tamen omnia, quæ pendent ex determinata exigentia causarum naturalium, inter quæ reperiri vagè, saltem respectu aliquorum, cogitationes aliquas congruas, suadent efficaciter considerationes notatæ in fine responsionis ad quæstionem. Idem confirmat, quod homines Iusti merentes vitam æternam, non propterea merentur, ne vlla vnquam sibi detur cogitatio incongrua, cum qua inducatur peccatum lethale: licet necessarium id sit ad consecutionem præmij. Ergo nec peccator meretur ratione peccati, ut destituatur dum est in via, omni cogitatione congrua, licet mereatur æternam damnationem, ad quam deinde consequitur priuatio omnis cogitationis congruæ.

Art. 3. Ad id quod additur de natura lapsa insufficiente ex se præterquam ad peccandum, si non adiuvetur Gratia Dei per Christum, iam innotuit quæst. 7. ad 2. quo sensu accipiendum sit, quando id dicitur ab Augustino, & aliis Scriptoribus sacris: nempe accipiendum esse non de insufficientia ad quodlibet opus vltimumque bonum, & expers propria malitiæ peccaminosæ; sed de sola insufficientia ad opus salutare, seu meritum visionis Dei.

Art. 4. Adde in confirmationem huius distinctionis agnitæ, & usurpatæ ab Augustino, testimonium eius ex lib. 4. contra Iulian. Pelag. cap. 3. prope finem. Cum enim multus esset Iulianus in laudandis quibusdam infidelium operibus: *Aur certè, reponit Augustinus, quoniam saltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere; scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei Gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducere.* Et mox immediatè subiungit, se nihil curare, an præter hæc sint alia bona opera, aliæque virtutes, quibus nihil malitiæ, aut peccati adiunctum sit, quia id nihil intererat pro scopo eius controuersie. Ait enim: *Omnia proinde cetera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine villo facta peccato. Quod ad me attinet (scilicet ad scopum pertinet disputationis contra Pelagianos) hoc scio, quia non ea facit voluntas bona.* Ea nimirum bonitate, quam immediatè exposuerat perducentem in Regnum Cælorum. Igitur sufficientia naturæ lapsæ, & exclusio necessitatis tam consequentis, quàm antecedentis gratiæ simpliciter, & per se per Christum ad opera bona moralia, saltem minima, & facillima, nihil continet menti, ac intentioni Augustini contrarium, nec reprobat generalibus testimoniis de insufficientia naturæ lapsæ, præterquam ad peccandum.

QVÆSTIO XII

Vtrum natura lapsa sufficiat absque auxilio Gratia per Christum ad obseruantiam totius Legis naturalis?



IDEIVR sufficere. 1. Quia obseruantia totius legis naturalis continetur in actiuitate, & viribus naturæ, absque adiutorio supernaturali; quandoquidem nihil illa supernaturale in se continet. Actiuitas autem, & vires purè naturales non desunt naturæ lapsæ. Ergo nec deest sufficientia ad totam legem naturalem. Nec obstat vires naturæ lapsæ esse minores, quàm forent in pura natura, ut dictum est quæstione decima. Hinc enim solum deducitur, obseruantiam legis naturalis esse difficiliorem naturæ lapsæ, quàm foret puræ; non tamen esse absolutè impossibilem.

2. Effectus ad quem est necessarium principium supernaturale, est supernaturalis. At gratia per Christum propriè, & simpliciter talis, est intrinsecè supernaturalis, ut dictum est supra quæstione septima. Ergo obseruantia totius legis naturalis, si quidem & ipsa naturalis est, præstari potest absque gratia per Christum propriè, & simpliciter tali.

3. Si non possit præstari obseruantia totius legis naturalis per solas vires naturales, neque etiam præstari posset per supernaturales Gratia, quia auxilia supernaturalia non possunt influere in actus naturales, quibus constituitur obseruantia legis naturalis. Auxilia namque supernaturalia proponunt sola motiua supernaturalia: ideoque ad solos actus supernaturales inueniunt voluntatem; ideoque ad solos illos cooperari possunt. Absurdum autem est, legem naturalem præstari non posse villo pacto: præstari igitur naturaliter potest.

4. Potest natura lapsa superare grauissimas quilibet tentationes absque villo auxilio gratiæ supernaturalis. Aliàs neque leuissimam vllam tentationem superare posset, nisi præueniente Gratia Dei per Christum. Fieri nimirum potuit, ut quodcumque occurrit tentatio leuis, occurreret tentatio grauissima. Ac proinde ad eandem gratiam spectat, quod non adit grauissima tentatio, ad quam spectat, ut eadem superaretur si esset præsens. Constat autem ex quæstione præcedenti, aliquam tentationem superari posse sine gratia Christi. Quia constat siue ipsa fieri posse bonum opus facillimum, & vitari peccatum vitatu facillimum, & neutrum sit, non superata aliqua tentatione in contrarium. Quia omnis vitans liberè peccatum, superat aliquam ad illud inclinationem, quæ habet rationem alicuius tentationis. Ergo potest superari grauissima etiam tentatio absque gratia Christi: atque potestas ad superandas istiusmodi tentationes, est potestas ad obseruantiam totius legis, utpote, quæ sola vi vltiorum tentationum reddi potest insuperabilis, & impar viribus naturalibus.

5. Ideo qui est in statu peccati personalis, non potest diu permanere in illo statu, quia, ut argumentatur D. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 8. est habitualiter auersus à Deo, hoc est, habet habitum relictum à peccato, per quem disponitur eius animus ad contemptum Dei, & ad amplectenda bona temporalia cum iactura eiusdem. At peccatum originale non inducit

ultimo

eiusmodi habitum auersionis, & conuersionis; quia non fundatur in actu elicitō ab ipso peccatore, qui solus posset in eum inducere habitum taliter auersum, & conuersum. Ergo ratione solius peccati originalis, non redditur homo impotens ad obseruantiam totius Legis naturalis longo tempore, sicut ratione peccati personalis.

Art. 1. Resp. Sententia communis, & vera Theolorum cum D. Thoma, loco nuper indicato, est, naturam lapsam non posse longo tempore seruare totam legem naturalem per solas vires intrinsecè naturales, & absque auxilio Gratia per Christum. Idem colligitur ex Trid. sess. 6. can. 22. damnante iustificatum absque speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse. Probatur præterea ex dictis quæ. 9. Inde enim deducitur naturam lapsam esse valde debiliorem, quàm foret pura. Ostensum namque fuit in omnibus, & singulis hominibus, inductam esse aliquam virium debilitatem in actu primo, antequam aliquid seu bene, seu male operentur: Atque hanc maiorem debilitatem continuari per totum vitæ mortalis decursum. Ex hac autem vniuersali aliquanti virium diminutione derivatur in singulos maxima quædam debilitatio. Inde enim consequitur per se, plura mala exempla, atque deteriora singulis occurrere ex parte cæterorum; educationem Liberorum per Parentes esse minus bonam, Consilia bona amicorum esse languidiora; esse minus efficacem doctrinam Pastorum; & sic omnia cætera exterius impellentia ad bonum ex parte languere; & tantumdem vigere, quæ pertrahunt ad peccandum. Ex hac autem tanta congerie diminutionis bonorum, & augmenti malorum, nemo non videt, quanta demum in singulos redundet debilitas ad bonum, & declinitas in malum; & quàm longo intervallo distet vtriusque status naturæ lapsæ à statu naturæ puræ. In statu autem naturæ puræ non forent vires maiores, quàm quæ essent omninò necessariae ad superandas difficultates omnium maximas circa Legem naturalem pro eodem statu. Nempe, ut aliquod superstit respectu finis vnicuique rei præstetur, non est ex lege naturæ; sed ex lege Gratia. Ergo vires naturæ lapsæ longè minores, quàm forent naturæ puræ, non sufficiunt ad superandas tentationes grauissimas, maxime cum tentationes, quæ sunt grauissimæ pro statu præsentis, eadem proportionem sint maiores, quàm forent in statu naturæ puræ; quæ proportionem vires ad resistendum sunt minores. Ex iisdem namque principiis pendet diminutio istarum, & augmentum illarum. Cum igitur in diuturna totius Legis naturalis obseruantia, necesse sit, ut occurrant graues aliquando tentationes; necesse consequenter erit, ut aliquando denudè cadat natura lapsa, nec continuare possit absque vlla interruptione eandem obseruantiam, si ei non subueniatur per adiutorium Gratia supernaturalis.

Art. 2. Merito in hoc discursu fit recursus ad impossibilitatem superandi tentationes graues, & ad necessitatem, ut eadem occurrant. Quia ex earum grauitate relatè ad debilitatem naturæ lapsæ, oritur tota huius impotentia ad obseruantiam totius Legis, vt non rectè contendat Vasquez nullum esse discrimen necessitatis Gratia, quoad leues, grauesque tentationes; sed ad omnes indiscriminatim, eademque ratione eam esse necessariam. Quod profecto videtur contradicere doctrinæ Christi Domini Matth. 5. Vbi actus faciles, vt diligere diligentes se, & salutare fratres, conceduntur possibiles antecedenter, & consequenter Ethnicis, etiam, & Publicanis: Prædicatur verò tanquam effectus solius Gratia: Euangelice salutaris dilectio inimicorum, in quibus tamen comparationis extremis, sola est differentia grauis, & le-

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

nis tentationis in contrarium. Eandem differentiam agnoscit Augustinus de perfectione Iustitiæ ad tertiam ratiocin. & cap. 11. de corrept. & Grat. dicens, liberum arbitrium sufficere ex se ad malum; ad bonum autem parum valere. Quod si nullam posset superare tentationem, nihil prorsus valeret; multum verò, si quolibet. Hier. dial. 3. contra Pelag. post med. manifestè docet ex potestate superandi leues tentationes non rectè colligi potestatem ad superandas graues: vtiurque exemplis physicis infirmi, qualem iudicat hominem lapsum, potentem ambulare centum passus, non autem mille, & similibus aliis. Chrysostomus ex illo Pauli 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id, quod potestis*; inferit hom. 34. Esse aliquas tentationes, quæ ferri non possunt; potestate scilicet morali, & sine Gratia Dei. Ibidem distribuit tentationes in humanas, seu leues, & in ea, quæ ferri non possunt; Atque de humanis docet non facillè vinci sine Gratia. Eandem ferè doctrinam habet Cyrillus l. 5. in Ioan. c. 45.

Art. 3. Ex his apparet non rectè pronunciaffe P. Vasquez, nullum esse istiusmodi discrimen apud Patres, vt tueatur suam illam vniuersalem, & vniuersalem necessitatem Gratia, purè consequentem, non minus ad superandas graues, & leues tentationes, quàm ad efficienda opera heroica, & quæ minima sunt. Cum, vt dictum est quæst. præced. ita etiam modò dicendum sit, suppetere naturæ lapsæ sufficientiam non solum antecedentem; sed etiam nonnullam consequentem ad superandas tentationes leues absque Gratia per Christum simpliciter, & per se tali: Eandem verò absque eadem, etiam antecedentem, non adesse ad superandas graues, vel certè grauissimas; atque adeò ex hac posteriori impotentia rectè concludi impotentiam moralem antecedentem ad totam legem, inquam verò, *moralem*, quia potestas physica adest necessariò, quandocumque viget obligatio legis, vt liquet ex quæst. 2.

Ad 1. Continetur quidem in actiuitate naturæ non vitiata, & debilitata per peccatum, non verò post inductam debilitatem per peccatum, vt ostensum iam est. Ratione enim eius debilitatis requiritur Gratia supernaturalis, vt potentia physica, quæ inest naturæ etiam lapsæ, perueniat ad potentiam moralem; Nempe differentia maioris debilitatis in natura lapsa, quàm pura non inducit respectu illius maiorem vtramque difficultatem operum Legis, sed talem, quæ vsque ad impotentiam moralem pertingat.

Ad 2. Necessitas comprincipij supernaturalis, quæ non fundatur in natura effectus secundum se, sed in eadem præcisè, vt comparata cum præsentis dispositione agentis naturalis, per accidens debilitati, nequaquam probat supernaturalitatem intrinsecam in tali effectù, præsertim cum comprincipium supernaturale exigitur ad possibilitatem moralem, & præsupponit potentiam physicam in agente naturali.

Ad 3. Etiam si adiunctis, & inuantibus comprincipijs supernaturalibus, non possint fieri, nisi actus supernaturales, non propterea sequeretur illa iuuare non posse ad obseruantiam Legis naturalis, sed solum iuuare non posse ad obseruantiam purè naturalem illius. Deinde fieri potest, vt auxilia supernaturalia iuuent ad obseruantiam etiam naturalem eiusdem Legis naturalis, quatenus proponendo moria supernaturalia, validissimè contradicentia transgressionem Legis, reddunt difficilem transgressionem, ac per consequens facilem obseruantiam. Atque ea reddita iam facili, potest ipsius executioni sufficere se sola, etiam moraliter, actiuitas naturalis, tamen si iustitiam similiter non foret, non præexistente, ex parte actus primi, illa tanta difficultate transgressionis.

Ad 4. Cui occurrit levis tentatio, quod non occurrerit gravis, aut grauissima, est Gratia solum externae protectionis, vt communiter dicitur, & est Gratia intrinsece naturalis. At, cum occurrerit grauissima ipsa tentatio, requiritur pro potestate morali eam superandi Gratia, intrinsece supernaturalis, operans positivè, & non tantum remouendo prohibens. Licet autem vnum quemlibet aliquando liberare Deus possit ab occurru grauium temptationum; fieri tamen ex natura rei non potest, vt omnis, & semper, aut etiam vnus aliquis per longum tempus liberetur à temptationibus, quae respectu naturae lapsae secundum se sint graues, aut grauissimae, & solum respectu Gratiae supernaturalis sint leues, ac facile superabiles. Quare ea Gratia est absolute necessaria ad diurnam legis naturalis obseruantiam, tametsi necessaria non sit, pro superandis temptationibus, quae respectu eiusdem naturae leues sunt.

Ad 5. Illa ratio probat optimè subiacentem peccato personali, non posse perseuerare diu absque nouo peccato, si non resipiscat, etiamsi inuenitur per auxilia ordinaria Gratiae, iuxta illud Gregorij homil. 11. in Ezech. post med. *Peccatum, quod mox per penitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Caterum inde non efficitur, non superesse aliam rationem impotentiae moralis inductae per peccatum originale, vt iam patuit.



QVÆSTIO XIII.

Vtrum natura lapsa sufficiat ad dilectionem Dei naturalem super omnia, absque auxilio Gratiae per Christum, saltem cum non adest tentatio gravis?



IDEVR tunc saltem sufficere. 1. Quia quando non adest tentatio gravis, eadem prorsus est potentia, ac sufficientia naturae lapsae, atque purae, à qua videlicet deficit lapsa natura, solum ratione grauiorum temptationum irruentium in ipsam. Natura autem pura sufficeret ad dilectionem Dei super omnia, vt pote quae esset ordinata ad illam, tanquam ad finem suum, nec haberet impedimentum, dum conseruaretur pura. Ergo etiam natura lapsa sufficit ad eandem, dum non vrgetur graui aliqua tentatione.

2. Natura lapsa est sufficiens sine Gratia ad alios actus heroicis motui vniuersalis, qualia sunt motiua Obedientiae, Religionis, & similia. Ad istiusmodi enim actus admittitur sufficiens natura lapsa, sine Gratia, cum non adest gravis tentatio, ab iis omnibus, à quibus admittitur sufficientia absque gratia ad aliquod bonum opus morale facillimum, & minimum, vt admissa est quaestione praecedenti. Ergo etiam est admittenda sufficientia eadem moralis sine gratia ad dilectionem Dei naturalem super omnia, saltem cum non adest gravis tentatio. Patet consequentia. Quia quilibet actus motui vniuersalis est impossibilis cum omni, & quouis peccato lethali; Atque adeo continet in se obseruantiam totius Legis, & consequenter victoriam omnium difficultatum aduersus ipsam, non secus, ac dilectio Dei super omnia. Ergo nullo ex capite haec potest esse difficilior, quam illa.

3. Quod maius bonum proponitur voluntati, eò efficacius illam mouet, & pertrahit ad se, & consequenter reddit habilem ad superandas maiores difficultates. Motiuum autem dilectionis Dei est summum bonum. Ergo voluntas est magis etiam potens ad dilectionem Dei naturalem super omnia, absque villo auxilio Dei supernaturali, quam sit potens ad villo alios actus bonos, quorum tamen aliquos dictum est fieri posse sine Gratia supernaturali. Est vero magis potens, etiam si adsint grauissimae quaelibet difficultates, vt pote quibus praeponderat vis attractiua infinita Dei bonitatis.

Art. 1. Respondetur. Dilectio Dei super omnia continet in se potestatem moralem obseruandi totam Legem, naturalem quidem, si dilectio sit naturalis; supernaturalem verò, si supernaturalis sit. Nempe dilectio vnus super aliud est dispositio animi facile patiens iacturam posterioris, ne amittat illud prius. Qui enim amat honorem super diuitias, adueniente necessitate alterutrum amittendi, altero contento, facile praecipit diuitias, vt consulat honori; & ex duobus Amicis, qui praeter altero diligitur, praerulet similiter cum facili iactura alterius. Hinc Ioan. 14. dicitur: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Vbi ex dilectione praesenti colligitur obseruantia legis, non solum praesens, sed etiam futura. Et licet sermo ibi sit de dilectione Dei supernaturali, eadem tamen ratio est, de dilectione naturali in ordine ad legem naturalem, quae est de supernaturali in ordine ad supernaturalem. Vtraque enim *firmat cor in Deo; ita vt pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari velit*: vt habetur ex D. Thom. 1. 2. quaest. 109. artic. 8. Et discrimen est solum, quod naturalis oritur ex cognitione Dei, vt auctoris naturalis, concipiente proinde ipsum relatè ad ea, quae naturaliter occurrere possunt, tam congruentia ipsi, quam eidem contraria. Vnde consequitur, vt dilectio naturalis firmet cor in Deo, in ordine ad contemptum bonorum naturalium, & in ordine ad superandas difficultates contrarias, quae naturaliter occurrere possunt: dilectio verò supernaturalis, etiam in ordine ad ea, quae supernaturaliter possunt occurrere.

Artic. 2. Caterum vtraque in eo conuenit, vt vnaquaeque in ordine suo confortet hominem in ordine ad totam Legem sibi correspondentem. Quapropter id etiam vtrique commune est, suo modo, quod habetur apud Apostolum: *Charitas patiens est, benigna, &c.* Quod sane de nulla alia virtute docemur: quia scilicet sola Charitas est, quae vi sua inducere potest reliquas omnes virtutes, imperando earum actus, & superando omnes difficultates contrarias. Idemque praestat dilectio naturalis in ordine ad ceteras virtutes naturales, & difficultates contrarias naturaliter occurrentes. Continet ergo in se dilectio Dei naturalis obseruantiam totius Legis naturalis, non quidem, vt postea non possit nihilominus deficere; quia, vt dicitur in 3. Ethic. cap. 8. *Potest homo ex praemeditatione rationis aliquid agere praeter ordinem finis praconcepti, & inclinationis habitualis relictæ ex actu praexistenti*, bene tamen, ita vt moraliter sit potens perseuerare absque aliquo lapsu lethali; vt conuincit ratio praedictionis quae fit de Deo per eius dilectionem.

Art. 3. itaque qui sic diligit Deum, quando non occurrit vlla tentatio gravis in contrarium, vt non habeat in animo dispositionem ad illam superandam, quandoque occurrit, non diligit absolute Deum super omnia; esto diligat super ea, quae in contrarium tunc occurrunt, quando concipit dilectionem, sicut is, qui diligit hominem tempore felicitatis, non diligit eum amicabilem, si ex tunc non ha-

bet